

1206 juny 5. Barcelona

Pere I, rei d'Aragó, comte de Barcelona i senyor de Montpeller, concedeix que, davant d'una malifeta comesa contra un habitant de Girona o algú altre del bisbat que ell hagi de defendre, si després de dos o tres requeriments del veguer no es vol sotmetre, s'instituirà en defensor de la part perjudicada. Mana també que els veguers actuïn dins tota la diòcesi, com en temps del seu pare i disposa que s'apliquin els usatges de la cort de Barcelona als deutors recalitrants de la ciutat.

[A]. Original perdut.

- B. Còpia en pergami n° 4 (434 × 237 mm) conservada a l'AHCG, escrita per Arnau de Santmartí, a petició de Bernat de Vic, notari públic de Girona, autenticada pel mateix Bernat de Vic, jutge ordinari de Girona, del 19 de desembre de 1265.
- C. Còpia de B de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 4v-5.
- D. Còpia en pergami n° 3 (359 × 308 mm) conservada a l'AHCG, escrita per Ramon Bruguera, notari públic substituït per autoritat reial de Bernat de Taialà, a petició de Francesc Batlle, jutge ordinari de Girona, del 21 d'agost de 1358. a. Ed. de la còpia C per Ferran VALLS I TABERNER. *loc. cit.*, p. 129-130 (doc. IV).

De malafeta feta en béns o en corses de ciutadans de Gerona. Item de la vegeria de Gerona.

Hoc est translatum fideliter sumptum quod sic incipit: «Sit notum cunctis quod ego Petrus, Dei gratia rex Aragonum et comes Barchinone et dominus Montispesulani, ad utilitatem et commodum tocius populi Gerunde, consilio nobilium virorum et tocius curie nostre, ad servandam omnem comoditatem et ad effugandam omnem iniquitatem sive maliciam, dono et instituo quod si aliquis aliqua malefacta fecerit alicui habitanti Gerunde vel aliquibus aliis qui per me deffendi debeant in toto episcopatu Gerundensi, vicarius meus vocet eum bis vel ter et si venire noluerit iuri parere vel malefacta restituere et inde ille reus sive contumax aliqua malefacta in se vel in rebus suis a vicariis meis sive a predictis hominibus nostris receperit, ego instituo me pro eis auctorem et deffensorem et ipsi non teneantur de predictis maleficiis in aliquo. Item, instituo quod si aliquis in corporibus hominum Gerunde vel eorum qui per me deffendi debeant, aliqua malefacta fecerint, statim quidquid vindicte ipse vicarius vel probi homines Gerunde inde fecerint, non teneantur in aliquo, sed ego instituo me pro eis auctorem et deffensorem, quia magnum dedecus est in alium corporaliter insurgere. Item, mando quod vicarii mei habeant totam vicariam integram et plenariam in toto episcopatu Gerunde, sicut in diebus patris mei ipsam vicariam vicarii habebant et tenebant per totum Gerundensem episcopatum. Item, mando quod si debitores aliqui in villa Gerunde morantes de quibus querimonia vicariis meis facta fuerit, persolvere voluerint, teneant curiam ad morem curie Barchinone.»

Actum est hoc nonas iunii, anno Domini M CC VI.

Signum (*signe reial*) Petri, Dei gratia regis Aragonum et comitis Barchinone et domini Montispesulani, qui supradicta concedo.

+ Petrus, Ausonensis sacrista. /5/ Guillelmus, Ausonensis episcopus. Sig+num Guillelmi Durfortis. Sig+num Ugonis, comitis Impuriarum. Sig+num Guillelmi de Montecatano. Sig+num Gaufridi de Ruppebertino. Sig+num Dalmacii de Crexello. Sig+num Arnalli de Lercio. Sig+num Guillelmi de Crexello. Sig+num Arnalli de Rechesen. Sig+num Raimundi de Gerundella. Sig+num Raimundi de Palacio.

Ianuarius qui hoc scripsit, die et anno quo supra.

Bernardus Stephani, levita et publicus scriptor Gerunde, subscribo (*signe*).

Arnallus de Sancto Martino, qui hoc XIII kalendas ianuarii, anno Domini M CC LX quinto, fideliter translatavit mandato Bernardi de Vicco, publici Gerunde notarii.

Ego Bernardus de Vicco, publicus Gerunde notarius et iudex ordinarius domini regis, qui hoc translatum cum autentico manifeste probavi, subscribo.